Walkowii Alberti: Sacerdotii honor et dignitas oratione brevi expressa et Venerab. Alberto Lorencowski dicatus consecratusque.

SACERDOTII HONOR & DIGNITAS Oratione breui expressa

ET

Venerabili ac Admodum Rndo Domino

ALBERTO LORENCOWSKI,

ART: LIB. & PHILOSOPH: BACCALAV.

DVM

Primum in Ecclesia Paroch: CANTENSI

Deo Opt. Max. offeret Missæ SACRIFICIVM.

A

M. ALBERTO WAIKOWIC debitæ gratulationis ergò & sacri Xenÿ loco

VIII Idus Ianuarij. Anno M. DC. XLVII.

d. c. q;.

CRAC. Apud Valerianum Piatkowski.

Qualis debeat eſſe Sacerdos.

IN templo Apollinis ferunt fuiſſe ſtatuam quandam, ſupra cuius caput heliotropium erat poſitum, dextra manu lilium, ſiniſtra verò roſam tenentem, ſub pedibus verò abſinthij manipulū habentem. Quoties ego ſacerdotij ſtatum meos mihi pono ob oculos, toties per hanc imaginem vitam moreſq; ſacerdotum repræſentari, imò qualis debeat eſſe ſacerdos exprimi & monſtrari exiſtimo. Sacerdos enim homo eſt, ſed vt à ſæcularibus diſtinguatur, debet ſupra caput habere heliotropium, ſcilicet quemadmodum herba hæc ſolem ſequitur, ita Sacerdos mentem ſuā eò declinare debet, quò Sol iuſtitiæ puriſsimus direxerit, non quo mundus traxerit immundus. Manu dextra geſtet ſacerdos lilium, ſignum ſcilicet puræ conſcientiæ & caſtitatis; mundus enim & ab omni ſecretus macula, debet offerre Deo ſacrificium. Siniſtra teneat roſam: ſicut enim flos roſæ dum ſuauem ſpirat odorem, omnibus gratus eſt, at vbi aruerit confeſtim abijcitur: pari ratione bonus ſacerdos Deo & hominibus eſt gratiſsimus, malus verò & Deo inuiſus & populo fideli odioſus. Abſinthii demum manipulum voluptates ſcilicet & illecebras mundi ſub pedibus habeat ſacerdos eſt neceſſe; Namque amara debent eſſe ipſi mundana omnia, cæleſtia verò dulciſsima. Proinde illa calcare & deſpicere, hæc meditari ſemper & appetere debet. Cuius quidem ſtatuę ad Sacerdotum mores applicationum congrua ſit? eorum qui hac ornati ſunt dignitate maturò interim comitto iudicio.

DVM ad felix Noui Anni exordium, hac solenni & annua festiuitatis SS. Trium Magorum die, qui Christo infanti tria ad cunas Betlehemicas obtulerunt munera, Te quoq; Venerab. & Adm: Rñde D. ALBERTE LORENCOWSKI, in Sacratissimis primi Diuini Sacrificij primitijs, corpus & sanguinem prętiosissimum Seruatoris nostri IESV, cumque his tria ista Magorum munera; aurum, quia puram mẽtem: thus, quia Te ipsum suaueolentes virtutum in hoc sacrorum Ordinum gradu amplissimo constitutum spargentem odores: myrrham, quia Passionis Christi memoriam recolentẽ, hodierna die offerre summo rerum omnium authori & Conditori cõspicio. dũ hanc lectissimam hospitum gratissimorum coronam, Tibi Tuisque spectatissimis parentibus Sacerdotij dignitatem, atque primi Sacrosanctę Missę sacrificij celebrationem cõgratulantem faustis lætisq; vocibus contueor: ego quoque vltimus accurro, vt coram voce vultu & ocu-

 lis e-

is eundem Tibi Tuisq; omnibus gratuler honorem, simulq; meę in Te propensionis tester officiũ. Suasit id debitum amicitię munus, poposcit Academici in Academicum quia Baccalaureum amor, exegit Tuorum in me parentum humanitas & beneuolẽtia singularis. Quibus omnibus non respõdere, summæ barbariei ac inhumanitatis notã mihi meritò inurendam esse arbitrabar. Quare Tuam Tibi dignitatem gratulaturus, Sacerdotij honorẽ dignitatemq; Oratione breui expressam, sacri xenij loco ad felix exorientis anni, quadragesimi septimi supra Millesimũ Sexcentesimum auspicium, tuo obtutui præsento & offero. Tu qualecunq; sit illud (vti subcisiuis conscriptum horis) quin læto & benigno vultu, quia à Tui amicissimo profectum animo, legas & accipias, non despero.

Ac dignitatem sacerdotij mihi ieiuno & sterili Oratori commendaturo, ne illud à quopiam obijciatur. Quid fabro vltra malleum, homini de Schola vltra ferulas, subuereor & pertimesco. Fateor equidẽ onus hoc meis impar videri & esse humeris, quia non sacerdotis, nec aliquam sacerdotij habentis peritiam, cuius tam sublimem gradum esse

non

non ignoro, vt ipsius excellentiam vix js, qui in sacerdotem electus & consecratus, suo per longam annorum seriem fungitur munere, explicare ac dignè laudare possit: immò veriùs dicã, tantam esse sacerdotum ac eorum sacerdotij dignitatem & eminentiam, vt eam non dico verbis exornare, sed vel mente velle concipere maius sit humana eloquentia munus. Dices fortasse, ergone Tu audacissimus vel sapientissimus ex omnibus, qui tã grauem & arduam aggrederis prouinciam? Minime minimè equidem, imò verò omnibus, quotquot adsunt ingenij gloria & scientiarum excellentia insignes viri, tantò doctrina inferior & ingenio minor, quantò in Te Rndę ALBERTE LORENCOWSKI prõptior & officiosior. Vicit enĩ omniũ de mei tenuitate ingenij censuram, meus in Te candor & affectus, vicit meæ hac in rę quã suscepi imperitię conscientiam, mei in Te animi propensio, meq; in spem bonam erexit, rem propositam audacter aggredi consuluit, officio demum amici deesse iniquum, nec leui dignũ reprehensione cẽsuit. Et quò minus ingenio possum, diligentiam quæ meæ in rebus omnibus tenuitati suffragari solet plu-

let plurimum, in auxilium aduocare persuasit, de qua tantum mihi decessit, quantum de tempore diminutum erat. Etenim ad hanc tam grauem & difficil;lem materiam, non dico flosculis Rhetorum exornandam, aut verborum varijs & exquisitis calamistris distinguendam, sed vel simpliciter rudiq; (& aiunt) Minerua enarrandam, temporis Thaletis testimonio prudentissimi, aut vix satis habui, aut in alias necessarias cogitationes dispertitum, non quoad illius vellem, sed quoad possim conferre debui. Amoris etenim & propensionis meæ studio & officio satisfacere (vt debeo) volui, hocq; Sacerdotij dignitate & honore, Tui sacrificij primitias condecorare curaui. Quanquam hoc quidquid erit, pro tenuitate ingenij mei & temporis vt dixi ratione, innuam potius quam effingam, more pictorum, qui in breui tabella, ingentia etiam ædificia adumbrare magis quàm depingere consueuerunt Et quoniam res quælibet, si eius fontes ac initia prius perspecta sint facilius cognoscitur, vnde pullulet omnis dignitas atq; honor videamus. Nonne verò cuncti qui Deos ficticios mera figmenta reputamus, illud verissimum esse

statu-

ſtatuimus, ſupremum bonorum omnium diſpenſatorē & largitorem Deum Opt. Max. pro ſua ſumma prouidentia pariq́; poteſtate, cùm vniuerſa, tum quoq; eminentias & honores mortalibus impartire: eoſq́; ſæpenumerò oleum & operam perdere cenſemus, quos aliter dignitates quaſuis conquirere cognoſcimus. Sacra namq́; docent oracula, omnem deſurſum eſſe poteſtatem, non quidquam cæcę ſorti, non Principum aut magnatum voluntati atq; arbitrio, non vllis mortalium ſuffragijs, ſed ſummi rerum omnium Authoris & Protectoris ſummę prouidentię, ſapientię & beneficiō totum eſt tribuendum & adſcribendum. Quod verò cælitùs nobis conceditur, quis non ſummū illud, magnum, pulcherrimum & excelſum agnoſcat? ꝙd vel maximè in ſacerdotio videmus. Quid enim aliud eſt ſacerdotij dignitas, quàm ad cultum Dei veri promouendum, ſacrificia ritè & debitè peragenda Viris vitę integritate morumq́; probitate cōſpicuis auctoritate Diuina conceſſa poteſtas? Quid aliud eſt ſacerdotij honor, quàm amplitudo & quædam quaſi maieſtas propter ſapientiam, ſanctitatem legiſq́; Diuinę peritiam viris pijs & deuotis de-

tis desuper data & tradita. Quid aliud est sacerdotij dignitas, quàm ea virtutis bonorumq; operum merces, quę nec augeri laudibus, nec vllis minui detractionibus vnquam potis est? Quid aliud est dignitas Presbyterorũ, quàm pulchritudo quædã & ornamentum à Deo concreditum? Quæris in sacerdote authoritate Diuina concessam potestatem! audi Verba Saluatoris nostri ad Apostolos, simulq; ad eorum successores qui saterdotij obeunt munia sacratissima, per Diuũ Matthæum Cãcellarium Christi dignissimum nobis tradita. Euntes, inquit redemptor noster, docete õnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consũmationem sæculi. Quæris amplitudinem & maiestatem, hanc cognósces si illa verba dilectissimi Christi discipuli & Euangelistæ consideraueris. Quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorũ retinueritis retenta sunt. Pulchritudinem & ornamentum requiris? hanc profecto Diuinus ille Psaltes his enarrat verbis. Minuisti eum paulò minus abAngelis, gloria & hono

reco-

re coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum Tuarum. In hoc profectò Regis & Prophetæ testimonio luculentissimo, quot verba tot numeranda mysteria, quot vocabula, tot Sacerdotum insignes tituli & decora notanda: quę quidem diligentiori mentis perpendens radio ambrosia cælesti plenus Doctor Diuus Ambrosius, regiæ sacerdotalem anteponendam docuit esse dignitatem; illi enim populis duntaxat, hi populis regibusq; simul præsunt gloriosè. Quod Christianorum Principum factis comprobare possumus luculentissimè. Constantinus etenim ille per omnium theatra imperiorum prædicandus, & tanquã speculũ õnibus alijs ad imitãdũ proponẽd9 Imperator, quamdiu vixit, Diuino cultui dedicatos Sacerdotes, vt pote vicem Dei gerentes, maximâ reuerentiâ, honore & muneribus, superiores & digniores eos seipso agnoscens, ornauerat & cumulauerat semper. Quod cùm alio quouis loco & tẽpore satis abundè testatus est, tùm vel maximè in illo Oecumenico Nicæno Concilio, in quo cùm viri in Ecclesiastica dignitate cõstituti inter se cõuenire non possent, remq; in qua dissentiebant, ei-

dem decidendam committerent: eos ille his affatus esse perhibetur. Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis etiam iudicandi, quare nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, & idcirco Diuinum expectare debetis iudicium, non enim est conueniens, vt homo cùm sim, de vobis qui terrestres Dii meritò censemini, (quia in cõsecratione Eucharistiæ Christi personam induimini, & loquimini acsi ipse esset Christus) aliquod faciam iudicium. Idem recognouit Valentinianus Imperator, quià supremis Ecclesię moderatoribus Diœcesi Mediolanensi Præsulem dari postulans, tali ad eos vsus est sermone. *Nostis perbellè Patres Diuinis instructi eloquiis, & sacrorum venerandi Principes, qualem oporteat esse Ecclesiæ Pastorem: proindè talem obsecro Ecclesiæ isti tradite, cui & nos qui gubernamus Imperiũ securè capita nostra submittamus, & ipsius adhortationes Diuinas in omnibus nostris operibus æquo suscipiamus animo.* Silentio prætereo complures alios Procerum & Principum insignium, qui Sacerdotum curæ sui subditorumq; suorum corpora

pora à ſeipſis, animas verò ab Imperiorū omnium rectore & adminiſtratore præſentiſſimo commiſſas fuiſſe fatebantur. Nouerant quippè viri illi Imperatoria dignitate ornatiſsimi, illos non homines, ſed humanos eſſe angelos, immò verò Deos, quia Diuina pandentes oracula & miracula. Quidni verò Deos arbitrentur! cùm ex Diuo diſcant Chryſoſtomo, presbyteros poteſtate ſacroſanctæ Euchariſtiæ conſecrandæ, mentes etiam illas beatiſsimas ſuperare, ſacrarū deniq; paginarū teſtimonio varijs ijsq́; præſtātiſsimis eos cōdecoratos videāt titulis. Hos vocat *Exodus Deos, Malachias Angelos, Hieremias Reges, Diuus Matthæus lucem, Gregorius ſtellas mundi, Baſilius faces ardentes*, alij demum Ducum, Principum, amicorumq́; Dei nomen ſacerdotibus tribuunt frequentiùs. Quæ verò maior dignitas, quod nomen honorificentiùs, quę ſublimior excellentia, dignitate Diuina, Angelica, Regali, reperiri poteſt? nulla, nulla omnino. Hanc ſacerdotum dignitatem diligentiùs olim intra ſe perpendens vates ille Diuinus, eam cū ſummam cognouiſſet, diuino afflatus ſpiritu exclamauit. *Nimis*, inquit, *honorati ſunt amici Tui Deus.*

 Hanc

Hanc verum illud Christi exemplar S. Franciscus identidē considerans dicebat, *Maiorem deberi honorem sacerdoti, quàm sancto aut Angelo è cælo venienti.* Hanc viri illi beatissimi Marcus & Amonius recusantes, ille pollicem ne fieret sacerdos, hic verò aures ne in Episcopum eligeretur, abscidisse sibi feruntur. Cur ita? Sciebant Sacerdotes Reges esse: *in regno vero nullam* (iuxta Alexandri Seueri sētentiam) *quietem, sed assiduum non ignorabant esse periculum*; Menti suæ infixam auream illam Diui Hieronymi habebant sententiam. *Grandis dignitas Sacerdotum*, inquit ille, *sed grandis ruina si peccant: Lætamur ad ascensum sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mæroris de sublimioribus corruisse; nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute soliciti.* Hoc profectò fulmine ipso terribiliori sermone, viri illi sanctissimi perterrefacti, à sacerdotio abstinere satiùs duxerunt. Nō immemores verborum Apostoli, quibus cautè admodum & prudenter sacerdotij munus suscipiendum & aggrediendum esse monemur. *Videte* inquit Apostolus, *ne in vacuum gratiā Dei accipiatis.*

Sed

Sed quam obsecro in sacerdotio constituti accipiunt gratiam? Sublimem certè & cælo ipsi proximam. Datur namq; cuilibet presbytero Spiritualis potestas consecrandi & offerendi corpus Christi, datur potestas Iurisdictionis. Quodsi quispiam accepta potestate non vtatur, si perrarò fungatur sacerdotio, profectò hanc sacri Ordinis gratiam, cumq; gratia dignitatem in vanum se accepisse fateatur est necesse. Ac proinde timeant si tales qui sunt, ne cum terrore vocem de cælo audiant olim eiusmodi. *Vigilate* (verba sunt Viri cuiusdam gravissimi) *ô arietes pro gregibus, & quod debetis incensum Orationis Deo offerte glorioso.* Sed hæc fortasse nihil ad nostrum propositum, etsi ad nostrũ, nihil ad hoc tempus, proinde nostri prosequamur sacerdotij dignitatem. Quam quis quæso non dicet sublimem? cùm à Sanctis Doctoribus doceatur, *Sacerdotem posse quod non potest angelus.* Quis non dicet præstantem? cùm audiat ex ijsdem. *Totum mundum esse bonum, si omnes presbyteri essent boni.* Quis non dicet cælestem? *cùm bonum presbyterum positum in terra eo fine sciat, vt sit sicut Sol in cælo.* Quis non dicet Diuinam? *cùm à Deo cõ-*

 fera-

feratur. Quis non dicet excelsam? cùm quisquis sacerdotio ornatus sit, simul etiam regio condecoretur nomine. *Vos estis regale Sacerdotium.* (sacra loquuntur oracula) *quia vos regibus non reges vobis præstant, & supra vos nihil erit in terra; sed ipsi vos eritis præsides orbis, duces hominum, custodes legum & patres omnium.* Satis profectò insignes tituli, satis decora sacerdotis nomina, satis summus sacrorum ordinum gradus: at magnâ indiget vigilantià, magno labore, magnâ continentià, immò virtutum omnium ac perfectionis singularis, quandam requirere videtur encyclopædiam. Quid enim aliud est presbyter quàm bene viuēdi præbens iter, seu q̄d idē est, ad illud æternitatis augustale, beatū præbens iter mortalibus? sacerdotisq; nomine is dignus esse cēsetur, apud quē magis valet morum grauitas quā mundi pompa & ornatus leuitas; in cuius animo vitæ innocentia, non voluptatum & illecebrarum mundi manet spurcitia, cui magis placet doctrinę excellētia, quàm omnis iniustitiæ fomes auaritia. Hinc non temere mihi videtur supremus rerum omniū conditor & effector, Sacerdotes legis veteris quoddam lauacrum è speculis muliebribus, in quo se lauissent iussisse habere, sed diuinâ illâ quâ cuncta

mandat facitq; sapientiâ. Hoc namq; facto docere voluit, vt omnes ad sacerdotij dignitatem adspirantes diligentiùs secum considerent, quantū possint quantumq; valeant: ne vbi prodesse debeant obsint, vbi docendum corrumpant: paucis multa, sacerdotē eiusmodi esse debere declarauit qui mente purus, vitaq; sit irreprehensibilis. Sed quis tam excelsam & sublimem dignitatem, conuenienti ac digno condecorare valeat elogio? Nullum flumen ingenij, nulla eloquentiæ vis, nulla humana vox, nulla mortalis lingua, hæc consequi vnquam poterit. Quare finem dicendi faciam, cùm ad Te V. & A. R. D. ALB. LORENCOWSKI mea cursum deflectat Oratio.

Maximam quia Diuinam, sublimem & excelsam quia Angelicam, summam quia Regiam, sacerdotij scilicet adeptus es dignitatem. Quam quis Tibi totiq; domui Tuæ non ex animo gratuletur? quis parentibus Tuis nobilißimis, cognatis & propinquis spectatißimis gaudentibus non congaudeat? quis Tecum primum Eucharistiæ Sacrosanctum celebrante mysterium non lætetur. maximasq; pro tanto domui Tuæ conceßo beneficio, non agat gratias? quis nō

extul-

exſultet? Exultat & meritò quidem domus hæc veſtra. Nam ita liberaliter, Deo auſpice, hanc quã diuinitus conſecutus es ſparges vbique benedictionẽ, vt in agris vbertas, in animis amænitas, in corporibus demum parentum Tuorum ſalus & ſanitas vigeat incorrupta. Gaudent felices Te Sacerdote parentes Tui nobiliſſimi. Verum non gaudere ſolum, ſed exultare etiam debetis parentes Neomyſtæ colēdiſſimi, eum namq; habetis filium, qui pro Veſtra incolumitate ad altaria tremenda Domini demiſſè vota perpetuò fundet altiſſimo, illudq; à Diuo IOANNE CANTIO ſuo & veſtro populari, precabitur: vt vos per dies quamplurimos & optimos, vigentes & beatos ſua apud Deum interceſſione ac patrocinio faciat perennare. Gaude deniq; Tuo iſto excellenti bono Neomyſta Venerabilis, fruere hac ſacerdotij dignitate, in eaq; eū Te præbe, vt boni reperiant quod in Te imitentur, nihil inueniant mali quod reprehēdere poſſint. Lauro etenim Academica exornatus es, altricis igitur virtutum omnium Academiæ Crac. nobiliſſimas vbiq; ſpargere debes Virtutes. Cantius es, Diui igitur CANTIJ Te ſequi conuenit veſtigia. Sacerdos es, ſacra igitur omnia, bona ſcilicet à Te procedant ſemper eſt neceſſe. Sed næ ego

audax

audax, qui Te admoneam cùm gratulari proposuerim! Ergo Tuis me recommendans precibus Tibi fausta omnia intimo apprecor affectu, IESVMq; infantulum (quem hodie Tuis attrectasti & gestasti manibus) exoro, vt Te ad Ecclesiæ decus & ornamentum, parentum solatium, saluum & incolumem quam diutissimè conseruet, suoq; in omnibus negotiis auxilio suffulciat, consilio dirigat, quò rectiùs, & digniùs ea omnia quæ Te facere sacerdotij dignitas & officium postulat, possis perficere.

DIXI.

DEDICATIO.

Parua sacerdoti non paruo munere cincto
Hoc in solenni tempore dona fero.
Non quæ ficta solet Clio vel fictus Apollo
Vel quæ ficta solet Castalis vnda dare.
Sed quæ sincerus fabricat sub pectore candor
Quæ sunt Sythonia candidiora niue.
Cãdida cãdor habet, reddit quoq; candida candor
Nõ quæ coruus habet, Cygnus at almus habet
At quis ego dicar qui reddo candida quæris?
Hic ego sum, dici qui solet alter

EGO.

Lectissimæ
Hospitum gratissimorum coronæ
Atq;
Nobilissimis Primitiantis filij parentibus
Strenæ loco
Author
d. cq;.

DOSIPONA

COeLorum gaudEte veNit terræq; DynastA
NOs VVlt coELestes nAmq; Tenere polOs.
SCyrposi ZabOli seDes iam diRuet hYmum
Vos VlEto Cantu ZOi data feRte deo.

Explanatio.

Quid valeant elegi nosti cognosse laboras,
Fac maiora legas grammata percipies.
Verba Polona ferunt queis plebs nunc vtitur ōnis,
Alternis certans vndiq; muneribus.